

Alte Drucke

Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chytræus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

REVERENDO ET OPTIMO VIRO, D. PETRO ERBERMAN, amico suo veteri & carissimo S. D.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122

EXPLICATIO
MALACHIÆ
PROPHETÆ.

REVERENDO ET
OPTIMO VIRO, D. PETRO
ERBERMAN, amico suo veteri
& carissimo S. D.



N varijs & magnis doloribus, quos tristissima dogmatum dissidia, & Ecclesiarum piè & præclare constitutarum deuastationes, partim à tyrannis, partim à sectarijs factæ, tibi, carissime Petre, & omnibus pijs doctoribus adferunt: præcipua & firmissima consolatio est, quòd certò credimus Ecclesiam sanctam Catholicam esse, & inter has generis humani confusiones à Deo conseruari, & in his ipsis arumnis nos Deo cura esse, & ab eo propter Filium, quem diligimus, diligi, protegi, seruari, & aeterna vita ac

gloria donatum iri. Labores etiam docendi, exhortandi & consolandi nostros, in excolendo Ecclesia agro à nobis positos, quantumuis spreti, & infrugiferi etiam, ac plane irriti, mundo nostræq; rationi interdum esse videantur: tamen in Domino non inanes, sed Christo gratos & ecclesie salutare esse: & quidem vberes ac lactos & in aeternam vitam duraturos fructus parere & propagare, sicut venustissima imagine, ab Agricolis sumpta, Psalmus hanc promissionem pingit: Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent: Euntés eunt, & stentes portant preciosum semen: venientes autem venient, portantes manipulos suos.

Non dubito Augustinum ingenti dolore affectum esse, & largæ lacrymarum flumina profudisse, cum Ecclesiam continuo quadraginta annorum labore & fide à se in Africa plantatam, & piè ac præclare constitutam, tandem extremo vitæ suæ tempore, eiectis per Vandalos pijs & orthodoxis pastoribus, & lupis Arianis in eorum loca substitutis, horribiliter dilacerari, & perire, & vastata incendijs ac cadibus tota vicinia, tandem ipsam urbem Hipponem, in qua tot annos Ecclesiam rexerat, cingi obsidione vidit: in qua cum ipse (anno Christi 433, die 28. Augusti) mortuus esset, & postea, decimo quarto mense obsidionis, urbs capta, & templa omnia ab Arianis occupata essent: plurimi ipsius labores, quos in spargendo veræ & sinceræ de Christo doctrine semine, & in ecclesia Hipponensi & vicinis in tota Africa piè erudiciâ, tot annos insumserat, prorsus inanes & irritos fuisse indicabant. Sed & Augusti-

Augustinus ipse, tristissimas illas & horrendas Africa vastationes intuens: hac firma consolatione, quam dixi, se sustentabat: & quo plures & acerbiores lachrymas, in eundo, & spargendo semine precioso, profudit: eò uberiores fructus, & plures ac maiores manipulorum aceruos in horrea ecclesie totius posteritatis, & consuetudinis cum filio Dei aeterna, intulit. Adferunt autem haec Augustini arumina & dolores, non mediocrem leuationem, nostro etiam mœrori & acerbo lacrimarum omnium piorum, ac præcipuè doctentium, qui ecclesias puro verbi diuini semine à se consitas, sparsis ab inimico zizanijs, contaminari & perire cernunt: cum præstantissimo doctore Augustino & alijs summis ecclesie luminibus similia omnibus aetatibus accidisse videmus. Ac ut Augustinus, postremo illo vite sua tempore vandalicam impietatem & immanitatem, ipsa etiam templorum & urbium adfœcia euertentem, & crudelissimè cadibus ac supplicijs ubiq; grassantem intuens, hæc dicta assiduè in ore habuit: alterum Ethnicus cuiusdam sapientis: Non erit magnus, magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales: alterum Psalmi 119. **IUSTVS ES DOMINE,** & rectum iudicium tuum: ita nos, in presentibus ecclesie & nostris calamitatibus, Deo laudem sapientie & iustitie tribuamus, ac etiamsi causas mirandi consilij & permissionis diuine non intelligimus: tamen omnia quæ ecclesie & nobis singulis eueniunt, bona & mala, sapientissimo & iustissimo Dei iudicio regi & gubernari profiteamur. Ideo enim condidit Deus & seruat perpetuo genus humanum, ut aliqui de ipso testes sint, qui in tantis rerum humanarum confusionibus, hanc veram de Deo confessionem sentiant: Non casu fortuito ferri & misceri omnia, sed verè esse Deum inspectorem & gubernatorem rerum humanarum, sapientem, iustum & misericordem, qui in ipsis arumnis nobis præsens adsit, & filij mediatoris intercessione placatus operatur miseris, & immensa bonitate penas mitiget & tollat. Hac fide & spe confirmati, militemus bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam: & placido magnoq; animo breuia feramus incommoda, calumnias, odia, persecutiones, vel à tyrannis, vel à falsis fratribus, vel ab utrisq; coniunctim nobis imminentes. Hoc enim nobis (inquit D. Ieronimus) præstare Dei timor debet, ut alios omnes timores contemnamus. Ergo fides innixa Deo, trepidantia firmet Pectora, & in mœsto securum tempore tempus Præsumat confisa Deo: nam non metuendi Causa timere Deum: fidant legionibus illi, Perfugio quæ parent reparatis mœnia muris, Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi. Nos crucis inuictæ signum & confessio munit, Armati quæ Deo mentem, non querimus arma Corporis. Talem animum, vera fide & spiritus sancti robore confirmatum, non dubito te in presenti mutatione ecclesiarum, quas docuisti, & viciuarum, & molestijs, quæ inde tibi extiterunt, habere: & grauissimi huius Nazarenæ versiculi sententiam crebris & ardentibus votis repetere, *Ἐπιθεὶς τὸ οὐρανὸν*: Sursum mens spectata, terrenaq; despice cuncta. Euanescunt enim, instar somnij & umbra, omnia, quæ in his terris eximta etiam & magna, bona vel mala, existimantur. Nulla humana potentia, nulla opes, non beneuolentia hominum, non gloria, multo minus voluptates, imò nec vita ipsa durabilis & certa est. Quantulum verò temporis est, præsertim ad aeternitatem calculatum, quo impiorum odijs, iniurijs, conuicijs, vellicationibus torquemur, cum ipsorum spiritum exhalemus, interim dum trahimus, ut ille inquit. Quare sursum spectemus, & quæ sursum sunt, diuina & aeterna bona, quaramus, ubi Christus est in dextera Dei considens. Superna curemus, non terrena. Nam *ὁ δὲ θεὸς ἡμεῶν*, non Roslochij, vel Antuerpiæ, sed in cœlis est, vnde seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui momentaneam lenitatem afflictionis nostræ, excellenti &

aterno pondere Gloria compensabit: & nos à tristi onere dubitationum & adfectuum vitiosorum liberatos, sua luce & sapientia experte omnis caliginis & tenebrarum, & sua iustitia ac vita experte omnis peccati & moris, in omni eternitate complebit. Huius beata & caelestis Ecclesiae & scholae desiderio & spe certa, placido & magno animo, brevis & fugacissima huius vitae mortalis molestias perferamus. Memini autem communi spiritu Christi, & studiorum ac voluntatum similitudine, ante viginti tres annos, amicitiam inter nos conciliatam fuisse. Cuius semina etsi non dubito nos in eternam Dei & caelestis ecclesiae consuetudinem allaturos esse, ubi suavius ea fruemur: tamen interea etiam in hoc breui vitae mortalis curriculo eam, crebrioribus per literas colloquijs, & exhortationibus ac consolationibus mutuis, coli à nobis cupio. Vt igitur meo exemplo te prior inuitem, hanc epistolam ad te mitto: cui Malachiae Prophetae explicatiunculam, in hac Baltici littoris Sarepta à me traditam, adiunxi. Quae cum de aliquot insignibus religionis & vitae Christianae partibus, commonestiones non inutiles continet: spero eam lectoribus non ingrati fore. Bene & feliciter vale. Rostochij die Natali Filij Dei, à quo annum 1568. ecclesia Christi orditur. Quare Filium Dei seruatores nostrum Iesum Christum, à cuius Genethlijs, quae ut aeterna salutis nostrae exordium fuerunt, ita anni principium convenientissimè ducunt: toto pectore precor, ut annum felicem, tranquillum & salutarem tibi & veteri collega & ciui tuo, D. Iohanni Dymaro, & dulcissimis plantulis horti caelestis, quem in tua domo conseruisti, & toti ecclesiae ac Reipublicae tribuat: & publicas ac priuatas calamitates clementer mitiget & tollat.



LOCI DOCTRINAE PRAECIPVI,
QVI IN HOC LIBELLO BREVI-
TER ENARRANTVR.

- I. De Timore Dei, & Gratitudine ac obedientia DEO debita.
- II. De PRAEDESTINATIONE Ecclesiae aeternae.
- III. De veris Dei cultibus, ac praecipue de SACRIFICIIS NOVI TESTAMENTI.
- IIII. De officijs BONORVM SACERDOTVM.
- V. De Fœdere CONIUGALI.
- VI. De tempore aduentus, officio, beneficijs & regno CHRISTI SOLIS IUSTITIAE.
- VII. De Prouidentia Dei, discernente pios Deum colentes, ab impijs Epicureis, in hoc mundo florentibus.
- VIII. De aduentu Eliae.